


berg





1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11



1673.

1. Finck, Johannes Martini: De iudicio peritorum
2. Fahn, Christianus Gottfrid: De necessitate vel jure,  
quod necessitas constituit.
3. Mater, Henricus Guilielmus: De demonstratione
4. Loh, Christoph Josephus vob: De vexillo Imperiali.  
Ed. 2. 1725.
5. Rehbacius, Johannes: De eo, quod interest.
6. Ruemelin, Georgius Martinus: De donatione remuneratoria  
atque obligatione antidotali.
7. Schaefferus, Jacobus: De salionis jure.
8. Spoellin, Johannes Georgius: De repressaliis earumque  
jure.
9. Stoecken, Gerardus, vob: De precibus primariis  
Imperatoris. 2 Summl. 1673 & 1733.
10. Stoecken, Gerardus vob: De sigillis
11. Stoenius, Gustavus: De favore liberorum

1673.

12. Vitriarius, Philippus Reinhardus: De jure antecessoris

in successorem.

13. Zell, Daniel: de Delegatione debitoris

14. Zuehl, Marcus: Reactione injuriarum aestimatoria


Handwritten text on the left edge of the page, including the word "ria" and other illegible characters.



*[Faint, illegible handwriting on aged paper]*









DISPUTATIONE PUBLICA JURIS

ILLUSTRATIONE

FORVM

DIVINA FAVENTE GRATIA

SCRIPTIS ET

ADONCEI

ADONCEI

ADONCEI


ADONCEI

ADONCEI

ADONCEI

ADONCEI





Me B



XXXV.

B. 9.  
G. 31. num. 8.

5

I. N. D. N. I. C.

DISPUTATIO  
DE  
TALIONIS  
JURE

16737

P. 70.

QUAM  
INSPIRANTE SPIRAMINE DIVINO  
SVB PRÆSIDIO  
VIRI  
ADMODVM REVERENDI,  
CLARISSIMI, ATQVE EXCELLENTISSIMI  
DN. JACOBI SCHALLERI  
S.S. THEOLOG. D. ET PHILOSOPH.  
PRACTICÆ PROFESSORIS CELEBERRIMI,  
FACULTATIS PHIL. P.T. DECANI SPECTABILIS,  
PATRONI, PROMOTORIS ET FAUTORIS  
OMNI HONORIS CULTU  
PROSEQVENDI

PVBLICE  
PRO INGENII TENVTATE  
SVSCIPIT DEFENDENDAM

JOHANNES SCHMIDT / Aut.  
ARGENTORATENSIS.

AD DIEM XXI. MARTII.  
H. L. C.

ARGENTORATI,  
Literis JOHANNIS PASTORII  
M DC LXXIII.



VIRIS.  
NOBILITATE GENERIS.  
DIGNATIONE MVNERIS.  
AMPLITVDINE MERITORVM.  
GRAVITATE PRVDENTIAE.  
PROFVNDITATE ERVDITIONIS.  
VNDIQAQVE MAXIME EMINENTIBVS.  
DN. ANDREA BRACKENHOFFERO.  
CONSVLARI. TREDECIMVIRO. ET SCHOLARCHA.

ITEMQVE  
EX SACRO REGENERATIONIS FONTE  
SVSCEPTORI MEO.  
DN. JOH. LEONHARDO FROEREISENIO.  
QVINDECIMVIRO

ET  
CVRATORI MEO.  
DN. SEBASTIANO SCHMIDIO.  
SS. THEOLOGIAE DOCTORI.

EIUSDEMQUE  
IN INCLYTO ARGENTORATENSIVM ATHENAEO.  
PROFESSORI.

UT ET  
CONVENTVS ECCLESIASTICI  
PRÆSIDI.  
DN. JOH. SEBASTIANO GAMBSIO.  
SENATVS MAIORIS ASSESSORI.  
REIQVE MONETARIAE PRÆFECTO.

ET ALTERI  
EX SALVTARI LAVACRO BAPTISMI  
SVSCEPTORI.  
DN. JOH. VLRICO MEYGERO.  
J. U. DOCTORANDO.  
IVDICII TVTELARIS. ACTVARIO.  
PARENTI MEO.

HAS PAGELLAS.  
PRIMUM INGENII MEI FOETVM.  
PATRONIS AC MOECENATIBUS.  
SUMMIS.

SPE DURATVRI IN ME PATROCINII.  
TESTIBUS.  
INITIATIONIS MEÆ IN BAPTISMO  
GRATI ANIMI.

CURATORI.  
HONORIS ET OBSERVANTIÆ.

PROMOTORI.  
PIETATIS ET OBSEQVII.


PARENTI.  
FILIALIS CVLTVS.  
ARGVMENTVM ET PIGNVS.

D. D. D.

TANTORUM NOMINUM.  
VENERATOR PERPETVVS.

CLIENS HV MILLIMVS

IOHANNES SCHMIDT.  
ARGENTORATENSIS.





*Inspirante Spiramine Divino.*

**M** Etempychosin probantes Pythagoræos in hanc incidisse opinionem ut censerent de mortuorum animas arbitrio inferni Judicis nova ferarum possidere corpora, refert *Plotinus in lib. de suo cuiusq; genio.* Quicumque inquam humanam proprietatem servarunt, iterum & ipsi homines renascuntur, qui autem ad sensum defecerunt bruta quidem ac stolidam animantia redeunt: sed ita tamen, ut qui iram adjecerint, feræ existant, & pro ipsa inter se differentia dissentiant, qui vero in libidine & voluptatibus vitam egerint salata, voluptuaria animalia revertantur, quod si nec sensu ipso, nec sensus ulla parte usi fuerint, hi utique omnes plantæ resurgunt, quoniam in his vel animus tantum vegetalis fuerit, neque aliud egerint, quam ut in plantas verterentur, qui autem musicis modulis affecti atque deliniti vixerunt, si in cæteris non degenerarint, animalia musica renascuntur, & qui sine ratione civitates atque imperia rexerunt, aquilæ fiunt, nisi & ipsi alia pravitate sint infecti, nam & qui absque sapientia sublimia improbius tractant, coelumque suspiciunt, in alites commutantur, ad sublimiora semper devolantes, qui virtutem autem civilem affecutus est, homo revertitur, qui minime adeptus, in incivile aliquod animal, ut aprum, aut alia hujusmodi se transformant.

Commentitiam vero ridiculamque hanc animarum in aliena corpora migrationem esse Sacrorum non

tantum Codex ostendit; sed & sana mortalium ratio suadet, quippe inconvenientius quid rationi occurrere potest? quam plures aliorum recipere animas, quod, tamen Pythagoras ductis à semetipso testimoniis probare conatus est, dum meminit se formam aliquando gessisse Euphorbi, Pavonis, Homeri Poetae, Callidenae, Alces meretricis, qua de re *Ovidius L. 15. Metamorph. fab. 3.*

Quid in Philosophia ἀνωτον fuerit, si hæc per communionem vel unitatem animarum, individuorum seu ejusdem seu diversae speciei introducta confusio locum haberet? ut jam nihil dicam Philosophorum quoque consensu, & *Aristotelis imprimis. l. 1. de anim. c. 3.* autoritate certum esse inter recipiens & formam receptam semper requiri proportionem aliquam, nec animam quamvis corpus quodcunque ingredi.

Hanc ex proprie dicta Metempsychosi absurditatem, nonnulli saniorum Philosophorum subodorati, Pythagoræ sententiam, ut mitius explicarent de Metaphorica assumendam, statuerit: Quo sensu de ea *Boethius de consolatione Philosophiae L. 4. prof. 3.* sequentia nobis reliquit: Quidquid à bono deficit, esse desistit: quo fit, ut mali desinant esse quod fuerant. Sed fuisse homines, adhuc ipsa humani corporis species ostendat. quare versi in malitiam, humanam quoque amifere naturam. Sed cum ultra homines quemque provehere sola probitas possit, necesse est, ut quos ab humana conditione dejecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Evenit igitur, ut quem transformatum vitiis videas, hominem aestimare non possis. Avaritia fervet alienarum opum violentus creptor? similem lupo dixeris. Ferox, atque inquietus linguam litigiis exercet? cani comparabis. Insidiator occultis surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquetur.

Irae

Iræ intemperans fremit? leonis animum gestare credatur. Pavidus, ac fugax non metuenda formidat? cervis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? asinum vivit. Levis ac inconstans studia permutat? nihil ab avibus differt. Fœdis immundisque, libidinibus immergitur? sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit ut qui probitate deserta, homo esse desierit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam.

Quæ commodior hujus sententiæ interpretatio, potius tamen apud Poetas quam Philosophos, accurato ac proprio dicendi genere adstrictos, locum reperire videtur. Sit autem Philosophice Pythagoram esse locutum, hoc tamen inficias ire nullus poterit, opinionis habuisse fundamentum: ut vel ipse primus sententiæ hujus autor sic statueret (de quo tamen litigare non erit nostrum, quando quidem non ignoramus, quid *Gerh. Joh. Vossius in l. de Philos. & Philosoph. sectis* & alii sentiant) vel ad eandem ab Ægyptiorum sapientibus propugnata[m] facilius amplectendam moveretur. Quippe si & aliam illorum Pythagoræorum consideramus sententiam de Jure nimirum Talionis, satis aperte videbit quisque non tantum magnam invicem habere cognationem, sed & fontem atque originem exinde traxisse. Quia Pythagoræi sapientia præditi maxime non ignorabant, Justitiam neque calliditate, neque ullo alio modo posse præterire quenquam, imo licet in vivis homo pœnas non luat propter commissa scelera, aut præmia ferat ob bonorum factorum summam, post vitam tamen morte commutatam meritis affici; ut nimirum justitia nullum sui rigoris detrimentum sentiat: de quo Poeta, quando canit:

*Tarda licet Nemesis pœnam differre videtur  
Ast sane post mortem dura flagella quatit.*

De



De quo Jure Talionis vero jam jam ulterius quædam  
adjicere mente proposui. Quod ut felici cœpto ausuq;  
secundo fiat, faxit Deus Ter Opt. Sine cujus ope, honore,  
nihil rite nihilque providenter auspiciandum. Quem nunc  
quoque ex intimis cordis penetralibus invoco supplex, ut  
adhuc infirma manu pugnam Philosophiæ subeuntem  
inflatu S.S. Magistri sapientiæ ita corroborare velit, ut ea  
quæ quidem præstare nequeo, tentare tamen sustineo,  
*Scaligero* subtilitatum magistro suadente, feliciter incipe-  
re, promptius continuare, & auspiciatissime operi finem  
imponere possim; ad Nominis Divini gloriam & emo-  
lumentum proximi

*Vt faveas voveo Lector, pia fata secudent  
Cœpta, sit in votis, quod pia fata volunt.*

TALIO (α) est (β) Justitia commutativa (γ) qua damnnum  
aliū inferens (δ) eodem, seu specificè (ε) seu analogice (ζ) à Ju-  
dice (η) vel ad instantiam læsi (θ) vel ex officio (ι) punitur, ad  
coercendas injurias, & limites certos, humanis affectibus, in-  
vindictam pronis ponendos. (κ)

(α) Talio. Ad observandum igitur pernotum Eruditorum  
ordinem, in frontispicio statim hujus descriptionis occurrit voca-  
bulum *Talio*, cujus originem atque *Etymologiam* perpendere no-  
strum erit. Deducitur vero à *Tale*, ea scilicet significatione, quod  
tale quisque pati, quale fecerit, & talem respicere debeat pœnam  
qualem delicto suo meritis, à paritate inquam, & similitudine  
delicti, & pœna facti admissi & retorti. Hanc ergo assumi de-  
rivationem nos movet partim gravitas autoritatis multorum Au-  
torum, ut sunt, *Isidorus* his assentiens & Talionem ita describens.  
Talio est similitudo vindictæ ut taliter quisque patiat, qualiter  
fecit. Ut etiam *Vossius de Anal. l. 1. c. 22.* Partim & nostram firmat  
deinde sententiam quia nullibi aliam invenire copia fuit, & in du-  
bitationis aleam ponimus utrum melior apud alios derivatio de-  
prehendi possit.

Deinde

Deinde eadem lege devincti ad evitandam nominum rerumque confusionem in *Homonymiam* vocis *Talio* aliquatenus inquirere sumus occupati: præsertim cum in omni re semper prior esse debeat verborum, potior tamen haberi ratio rerum.

Sumitur autem hoc vocabulum *Talio* aliquando sed rarissime generaliter, pro omni retributione tam beneficiorum quam pœnarum, ut etiam *Aristoteles* de Pythagoræorum hac sententia statuit, totam sub se comprehendere justitiam. Porro & hoc in sensu intelligantur volo verba *Chrysologi. Serm. 68.* ante finem. Quisque quantum ipse præstiterit alteri, tantum sibi exigat ipse præstari & *Lysias c. 4. orat. 25.* Nihil absurdi feceritis si quo ipse in nos fuit, vos in ipsum eodem animo esse demonstratis. Eadem habet *Plautus Captivis 2. sc. V. 60.* Denique & illud vulgare dictum. *Ab alio expectes alteri quod feceris.*

Specialiter vero & usitatissime sumi pro retributione pœnarum tantum, ex quam plurimis sumus edocti autoribus, ut sunt *Chrysologus serm. 38. Lysia. c. 4. Quintilianus declamat 372. a. f.* expressis refert verbis *Talio* injuriæ ultio est, in hoc scripta est lex ne quis impune petulans sit. Eodem modo & *Isidorus Pelusiotæ L. 4. Epist. 86.* Sed & ipse Sacrorum codex his gemina suppeditat *Judic. 8. 18. & c. & 1. Sam. 15. 32. 33.*

Quandoquidem in nominis evolutione sicco ut dicere solent, pede *Synonymia* non est prætereunda, paucis in ea tanquam re alias satis nota nos expediemus. Sicut autem hoc Jus non in *Latio* solum, sed inter alios quoque gentes thronum suum collocavit, ita suis in earum lingua nominibus gaudet. Græcis (quorum præ aliis ideo nunc mentionem facere lubet, quia Latino etiam stylo utentibus, nomina quibus ab illis insignitur, non inusitata sunt) interdum *Ἀμοιβή* appellatur, quod à primitivo *Ἀμοιβω* descendens, compensationem, retributionem, significat; & bono nonnunquam, ut apud *Hom. Odys. V. δὶ δὲ ἀμοιβὴν ἐκατόμβῃς*; frequenter malo, ut apud *Hesiodum in ἔργοις; ἐργῶν ἀντὶ ἀδίκων χαλεπὴν ἐπέθηκεν ἀμοιβήν.* Interdum apud eosdem Græcos *Talio* nomine *ταυτοπαθείας* venit quia nimirum idem quis patiatur. Sæpiissime quod ex uno *Aristotele* videre est, *τὸ ἀντιπεπονηδός* dicitur, ubi particula *ἀντὶ* significatione alias usitata vicissitudinem denotat.

Non-

Nonnullis ex authoribus Latinis Retaliatio vocatur; unde verbum retaliare formatum. *Cæcilio* apud *Gellium* Reciprocas Taliones vocare placuit. Germani solent vertere *das Recht der Widervergeltung*; quæ loquendi formula, vel nunquam vel rarissime bonam in partem accipitur.

Summo Deo itaque ad finem producta *ὀνοματολογία*; illius quoque auspicio ad *πεπραματολογίας* contenta pedem movere aggredimur. Vbi de existentia seu quæstione An sit? priusquam quid sit tractare, suadet præter naturæ ordinem consuetudinis frequentia. Per voculam EST. ( $\beta$ ) ergo in definitione nostra non tantum nude definitum cum definitione jungimus; Sed dari talem Justitiæ commutativæ speciem palam facimus. Et ulteriorem probationis copiam huc trahimus. I. ex Sacrarum literarum Oraculis *Exod.* 21. §. 24. *Levit.* 24. §. 19. & 20. *Deut.* 19. §. 21. *Matth.* 5. §. 38. Possumus II. eandem Juris Amæbei existentiam, exinde, quod in ipso naturæ Jure fundatum sit, deducere. Hanc enim propositionem Nemini inferenda est injuria; esse juris Naturæ, dubitari nequit. Quotiescunque ergo injuria proximus afficitur juris naturæ limites transiliuntur, ad corrigendum autem hunc excessum ut inter injuriam passum, & inferentem, æqualitas quædam fiat necesse est, ad quod ut alter, quod alteri fecit idem patiatur, requiritur. Neque ideo Talionem Juris naturæ esse, negari potest quod eadem cum hominibus cum aliis animalibus non sit communis. Quamvis enim *Ulpianus*, ad jus naturæ hoc requirat, tamen *ἀκυρολόγως* id jus appellari constat, cum omne Jus involvat judicium, *πεπραμμένη*, atque libertatem agendi: quæ requisita in brutis deficiunt. Hinc ex principiis juris naturalis sæpe quasi infernalibus furiis agitata delinquentium conscientia, *τινὸς τὸ πᾶσι δειπνῶν* se promeruisse, haud obscure innuebant, dum patris sceleribus, vel perpetuo futuræ retaliationis metu excruciabantur, quod de Caino homicidarum primo, Sacra Historia *Genes.* 4. §. 14. refert. & inter profanos de L. Sylla *Plinius*; hæc *l.* 7. c. 54. de ipso scribens: Nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus; idque voluisse veritum Talionem; vel resposcente jam Nemese vindictam, aperte eadem se pati, quæ aliis antea fecerit, confitebantur. Sensere hos conscientia stimulos, neque tegere eosdem potuerunt filii Israelis Josephi fratris sui proditores

tores *Genes.* 42. §. 31. Agnovit & ingenua confessione palam fecit: Adonibeseck. *Iud.* 1. §. 7. Accedit III. Testimonium ex praxi omnium gentium deductum; qua illud *Talionis* ex Jure Naturæ derivatum: Ab alio expectes alteri quod feceris, æquum atque justum declaratum est. Hinc non in privatis modo negotiis, vim vi repellere, damnis damna compensare licebat, par pari referre: Sed & in publicis; ut etiam si alia ratione pars nocens ad satis faciendum & resarciendum damnum adigi non potest; armis deinde & Marti justitiæ executio demandata nec unquam in eiusmodi bellis, de Justitia causæ ex Talione promanantis dubitatum sit. Prout eleganter hoc gentibus usitatum jus apud *Senecam in Herc. fur. actu 3.* Radamanthus expressit.

*Quod quisque fecit, patitur: auctorem scelus*

*Reperit, suoque premitur exemplo nocens.*

Atque ut omnes gentes suæ praxi jus Amœbeum probarunt, ita apud antiquos autores, quibus hoc usitatum fuit, nominatim reperiuntur, de *Græcis* tellatur *Diog. Laertius L. 1. de Indis Strabo*, de *Romanis A. Gellius*, de *Asiaticis populis Herodotus*. Hoc modo Ius Talionis Auctoritate divina probatum, Jure Naturæ pariter atque Gentium firmatum, è Civili. IV. etiam exclusum non est. Suppeditant nobis huius clara testimonia. 1. Lex Forensis, Jus civile populi Iudaici, qua Deus hoc Ius Politicæ Iudaicæ servandum præcepit, inter alia hæc per Mosen Israelitis mandans *Levit. 24. v. 20.* Fractura pro fractura, oculus pro oculo, dens pro dente, prout intulerit corporis vitium homini, ita infertor ei. 2. Lex decem Viralis, cui ex Talione desumptum hoc speciale insertum est: Si membrum ruperit meum e pacto Talio esto, vel ut *Cujacio* emendante, *Camerar. Hor. subcis. Cent. 1. c. 99.* legendum censet: Si membrum rupit, ni cum eo pacit Talio esto. 3. *Constitutiones Electorales Saxonice*, in quibus peculiaris hinc de jure Retorsionis seu Talionis Titulus deprehenditur. His, ad jungere possumus auctoritatem Virorum gravium, *Pythagoræ* nimirum, *Charondæ* eius discipuli, & reliquorum qui ex *Pythagoræ* schola, virorum eruditione atque prudentia politica illustrium, fecundi prodierunt. Hi sane, si, quemadmodum in aliis, ita & in hoc magistri sui auctoritatem venerati sunt. (de quo non est cur dubitemus) non potuerunt non asserere Ius Talionis à *Pythagora* desensum.

His

His cum abunde confirmatum sit; dari Talionem; ad eius definitionem, quæ, quid nam Talio sit, explicat, nos conferimus; Generis ergo in illa locum occupare (γ) Iustitiam commutativam statuimus, quia quod primum attinet vocabulum (Iustitiam) in dubitationis aleam ponimus quenquam ire negatum, Talionem legitimo modo ad Iustitiam posse deduci, quapropter ad rem luce clariorem, atque scholis decantatam demonstrationes adferre supervacaneum fore nobis persuasum habemus. Imprimis quando hæc tantum præmittitur distinctio qua Talio in simplicem & analogicam dispescitur, quarum illa omnimodam identitatem observat, hæc vero analogiam quandam admittit. De priori distinctionis membro concedimus, quanquam in quibusdam casibus locum habere potest, e. gr. si in Republica Iudaica, juxta legem forenses, privanti alium oculo, iterum oculus eruebatur &c. dantur tamen longe plurimi, in quibus si pœnam Iudex ad simplicem delicti identitatem redigere vellet, sententiam à justitia maxime remotam laturus esset: utpote si filium parentes suos, verberibus excipientem, ad eadem ab illis ferenda damnaret. Alterum contra distinctionis membrum in justitia invenire locum, cum omnibus Ethicorum peritis ponimus, nam hac Civilis conservatur societas, & sublata existet omnium rerum confusio & fœda servitus *Arist. l. 8. in l. 2. Polit. c. 1.* Talio conservat Respublicas. An vero ad Iustitiam distributivam seu commutativam referri debeat dissentiunt adhuc aliqui, quippe sunt qui ad distributivam & commutativam pertinere defendere sustinent, ut *Henricus Velsenius in exercit. Ethicis* ait: ad Iustitiam distributivam etiam Ius illud Talionis reducimus, de quo *Philosophus 5. Nichomach. 5.* Quia enim pœnæ ad hanc justitiæ speciem referuntur (quas tamen etiam suo respectu ad commutativam justitiam referri posse, non imus invicias) idcirco & hoc jus ad eandem pertinebit: siquidem S. S. hoc jus semper ad pœnas refert.

Sed *Velsenius* in hac sententia falsa nititur hypothesi, ac si pœnæ sub distributivæ justitiæ objectum caderent: quod quam falsum sit, late pariter atque solide ab *Horneio l. 3. c. 13. §. 7. & seqq.* est demonstratum. Jam si ex hac hypothesi cœu matre non bonæ notæ, eiusdem farinæ proles prognata est, quid mirum. Nec non *Excel. D. D. Præses huius disp. in Collegio Ethico suo disp. 6. §. 24.* ad utramque

tam commutativam, quam distributivam refert. Cuius tamen sententiam nostrae contradictorie oppositam non existimamus; cum nos de Talione stricte sic dicta loquamur. Ipse vero sensu latiori accipiat, quatenus Talio omnem omnino Iustitiam complectitur. Illud sane negari non potest, si de Talione stricte sic dicta, sermo sit, ad iustitiam distributivam referri neutiquam posse I. enim eius objectum non continetur sub objecto iustitiae distributivae, neque enim poenae sunt eiusmodi mala, quae sint ita communia, ut inter totius commutationis membra distribui debeant, & si illis cives afficiuntur; non ut talibus, in sensu composito, sed diviso infliguntur. II. Nullus quoque in eadem Talione, proportioni geometricae, quae in distributiva iustitia dominatur, locus est: sed ad Arithmeticam in Talione spectandum est. Ac proinde merito tanquam à iustitiae distributivae limitibus exclusam, commutativae asserimus. Hoc ergo si obtinuerimus, ad Iustitiam commutativam & quidem ita, ut ad essentiam eius constituendam requiratur, Talionem referendam esse, nullum amplius erit dubium, quin ista de hac, tanquam specie, cum alio modo non possit, in quid praedicetur, adeoque genus eius constituat.

His in generis evolutione contenti ad *differentiam specificam*, ne rebus non necessariis pagina repleatur, properamus. ad ea, ex quorum coniunctione differentia specifica emergit, spectat *subiectum*, quod in definitione nostra per verba ( $\delta$ ) *Damnum alij inferens* indicatur. Loquimur autem hic non de subiecto inhaesionis, nam illud, si ut quod consideretur hominem iustum, sin ut quo eiusdem animum constat esse: sed *de subiecto circa quod Hoc*, quemadmodum ex verbis haud obscure potest observari, iterum *est duplex, reale* nimirum, per  $\delta$  *Damnum & personale*, per  $\tau\delta$  *alii inferens*, indicatum: Personale, cuius tanquam fundamenti realis considerationem praepone re lubet, duplici modo ad antecedentem actum, qui virtutis huius medela indiget concurrat; active & passive: isto modo qui damno afficit, per  $\delta$  *inferens*, hoc vero qui afficitur, per  $\tau\delta$  *alii designatus*. Uterque horum potest esse vel publicus quando in Imperio Rex, in Aristocratia optimates, in Democratia populus injuria alios lacessunt, utpote cum Persarum Imperatores Graeciam injustis bellis opprimere conarentur; cum ex Vria civis sui thoro

thoro David Bathsebam in aulam & illiciti amoris amplexus vocaret. Vel privatus, qualis Absolon erat, (si tamen ratione temporis illius hoc nomine appellari potest) clandestinis & consiliis & sermonibus seditiosis Davidico scepro gravis. Ab his tanquam efficientibus causis actus iniusti pendere possunt, vel immediate & Physice, quod, quando illis manum ipsi admovent, contingit. Qualem in modo nominata Vriæ inferenda injuria David se gessit: Vel mediate & moraliter, quando quidem vere & realiter in actum non influunt, physico influxu, ita tamen circa eum se gerunt, ut ipsis deinde imputetur: cuiusmodi est rogans, consulens, non impediens privative &c. qua ratione Imperator aliquis militibus suis fœdere junctorum regiones vastare permittens, ipse fœdifragus & illata injuriæ autor appellatur. Eodem modo & læsus vel immediate læditur, vel mediate, quo referenda injuria quam à Tarentinis acceperunt Romanorum legati, per obscœnam turpemque dictu contumeliam violati; qua de re *Florus & Valerius Maximus l. 2. c. 2.* & damna quæ Romanorum sociis illata ipsum Romanum Populum læcessivisse judicabantur, ac proinde ad vindictã eundẽ provocabant.

Hæc de Personali subiecto dicta, *Realis* consideratio excipit, quod in nostra descriptione *Dammum*, appellatur, nam cum, ut sæpius monitum, *Talionem* in stricto sensu accipiamus, circa earum tantum actionum quæ malæ sunt, adeoque damna inferunt, compensationem occupatur. Huius variæ divisiones, cum à subiecto personali desumantur, ex ejusdem divisionibus facile colligi poterunt; qua de causa earum recensendi labore, tædiosa *ταυτολογία* vitatio, nos supersedere jubet. Potest autem damnum hoc dupliciter considerari, primo quatenus homo id iniuste alii infert & sic ad actum à justitiæ mediocritate deflectentem, & hanc ob causam correctione eius indignum refertur; Secundo vero, quatenus idem inferenti infligitur, & hæc proprie huius loci est. Quando autem dicimus *eodem* damno reum affici, observandum erit, duplicem dari posse identitatem, (s) *specificam & analogicam*; eam dicimus quando id quod pœna actus iniusti est, specie non differt ab eo, quo reus antea nocuit, sed quantum ad materiale, specie idem est, e. g. quando ei qui oculum alii excusserat, iterum excutiebatur oculus; quando qui gladio interemit alium, gladio iterum vitam finire cogitur,

gitur, ubi pœna & damnum materialiter eadem esse specie, negari nequit. (?) *Analogica* est, cum iustitia non permittit pœna cum delicto specie eadem reum puniri, hæc tamen ita constituitur, ut præter exæquationem eius cum delicto, adhuc aliqua inter utrumque deprehendatur analogia atque similitudo, undecunq; desumpta. Ita hoc jure adæquata legas instrumenta instrumentis, cum ignem alienum alieno igne luerunt Aaronis filii *Lev. 10. §. 2.* Ægyptii Israelitarum gentem suffocando opprimere conantes, aqua suffocati sunt. Gentiles cultu Divino bestias prosequentes earundem dentibus lacerati sunt, *Sap. 11. §. 16. 17.* Comam ducentas Siclos non pondere sed pretio (quod impendisse puellas Solymitanas, ut asciticio decore pro suo uterentur, vero simile est) æquantem comæ suspendio Absolon luit, & Aulæ Persicæ Sejanus patibulum patibulo; *Ester. 7.* Sic etiam temporibus tempora, locis loca, & quæ huius analogiæ fundamenta alia esse possunt, expiata, historiarum tum sacrarum tum profanarum monumenta ostendunt.

*Iudice (n) punitur* Cui hæc Iuris Amœbei administratio competit est Iudex, isque vel summus seu primarius vel subordinatus seu secundarius. Per summum intelligimus. Deum, qui haud raro, si Iudex terrenus puniendis sceleribus desit (quod plerumque accidit quando illum commissa scelera latent; quando qui eadem perpetrarunt potentia sua, aut alio quovis modo pœnas effugiunt; quando denique ultro affectibus illicitis excœcatus, ab irrogandis suppliciiis abstinet) ipse iustitiæ suæ punitivæ habenas laxans merito supplicio delinquentes afficit. Huc referri potest memorabilis historia, quam *Camerarius part. 1. hor. subs. c. 98. ex Balæo recenset*: *Henricus, inquit, Imperator, solitus erat frequenter ire ad orationem ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ quæ est in monte Aventino; Pontifex autem cum per exploratores suos, omnia eius opera diligenter inquireret, locum in quo frequentius Imperator vel stans vel prostans orabat, notari fecit, & quendam promissa pecunia ad hoc induxit, ut supra trabes Ecclesiæ occulte lapides magnos collocaret, & ita aptaret, ut de alto super caput orantis Imperatoris dmitteret, & ipsum contereret. Quod minister tanti sceleris quum festinaret implere, & lapidem magni ponderis super trabes aptare vellet, lapis pondere suæ eum traxit, ac fractæ sub trabibus tabulæ, & lapis & ille miser*



miser homo, Dei iudicio in pavementum Ecclesiae cecidit, & eodem lapide contritus penitus est. Debent huc reduci exempla illorum qui quamvis privati extraordinario tamen Dei impulsu excitati exercendae Talionis in sceleratos fuerunt; unde neutiquam censendi sunt, vindictae privatae rei. Hoc modo à Philistaeis illatam iniuriam Simson ultus est, ac propterea cum paria reddidisset. *Iud. 15. §. 11.* dixit: sicut fecerunt mihi, sic feci eis. Secundarium seu subordinatum iudicem appellamus Magistratum, qui quemadmodum ad alias iustitiae partes à Deo, cuius vices in his terris gerit administrandas, gladio Synecdochico, armatus est, item eundem ad retaliandum stringendi potestatem habet. Id quod praclare observavit Carolus IV. Imperator; hoc enim recensente *Iohanne Dubravio*, pro tribunali sedente, sacerdos quispiam, utroque oculo à Viro quodam nobili Patrono suo privatus, propterea quod illum erroris in religione arguisset, iniuriam querebatur suam. Nonibat inficias Zachora (id nobili huic cognomen erat) sed per animi impetum, quem tunc in potestate non habuisset, facinus admissum excusabat, offerebatque pecuniam pro satisfactione arbitrio iudicis aestimandam. Interpellavit dicentem Carolus, atque hanc tulit sententiam. Non posse in hoc casu satisfactionem absque Talione sibi constare, quando caeco in integrum oculi restitui nequeant; sed oportere Zachoram pariter atque Sacerdotem perdere oculos suos, neque enim aliter jus esse aequabile. Caeterum ad exercendum actus, circa compensandas per Talionem iniurias occupatos, duplici ratione Magistratus impellitur: priorem in definitione per voces (θ) ad instantiam laesi descripsimus: contingere hoc tum solet, cum ab alio lacessitus coram ordinario Iudice de illato damno conqueritur, atque sibi satisfieri petit: sic in historia verbis proxime praecedentibus descripta, Carolus ad instantiam laesi Sacerdotis, Iudicis Talionem exercentis officio functus est: posterior verbis (ι) ex officio continentur. Quando nimirum Magistratus, cognito quod injuria quidam alium affecerit, nullo etiam querelas ad eum deferente, aut vindictam exposcente, sui officii, quod magna ex parte puniendis sceleribus occupatum esse ratus, ultro in reum, poena delicto adaequata, animadvertit. Huiusmodi casus esset si in aliquo loco Magistratus interfectum quendam inveniret, & deprehensum

hensum latronem in vincula dejiceret, atque ex Talione capitis supplicio damnaret.

Ad finem nostro labori imponendum properantes, finem consideramus. Duo ab authoribus Talionis institutæ fines, referuntur; quos posita nobis definitio intuit, cum dicit *ad coercendas injurias, & limites certos humanis affectibus in vindictam prout ponendos.* (x) Coerceri i. injurias, non est cur dubitemus, vix enim quidquam etiam sceleratissimum hominem ab inferendis proximo injuriis retrahet, quam si pari supplicii loco tubeunda esse animo considerat: si scit, eadem sibi Talionis lege, divinitus constituta esse sustinenda, quæ alteri intulisset, utique ab injuriis proximo irrogandis, membrorum mutilationibus, ac cædibus eo diligentius sibi cavebit. Limites etiam certos humanis affectibus in vindicando poni, utique patet. Quam prona sit mens humana ad ulciscendum ab aliis acceptas injurias, quantum vindicta delectetur, quantum affectibus, si irritata fuerit, indulgeat constat. Nullum ergo dubium, quin difficulter, ubi ex arbitrio à delinquente supplicium sumere læso permissum esset, intra definitos à justitia pœnis dictandis terminos, se continere possit. Sed quoniam Talio negat, pœnam juste excedere posse damnum, quod læsus antea passus erat, sæpe hac lege, ne limites præfinitos, ulciscendi cupiditate impulsus, transiliamus, prohibemur. Atque hac ratione & lædenti & læso hæc lex prodest, in illo comprimitur manus noxia, dum metuit eisdem mali passionem, quod aliis infligit: in læso vindictæ cupiditatem temperat, ne graviolem ultionem expetat. Quin & Magistratibus, quippe quibus solis licet pœnam talionis irrogare, æqualitas in pœnis irrogandis, hac lege fuit præscripta, ne vel modum in puniendo excederent, vel nimia lenitate ferociam impiorum auferent, sed hanc Talionis legem, legi naturæ maxime conformem, observarent. His in explicanda definitione nostra contenti potissimum nonnulla, ex præmissis hisce promanantia, subnectemus. Sit ergo primum.

*I. Pythagoras non eam de Jure Talionis habuit sententiam, quam Aristoteles ei assignat.*

Quid Aristoteles Peripateticorum ex Lyceo Princeps de Talione  
Pytha-

Pythagoræorum senserit, & qua ratione sententiam eorum proposuerit & refellere conatus sit, nemo forsan qui non plane in Philosophia morali hospes est, ignorat, & ex eius de moribus l. 5. c. 8. & *Mag. Moral. l. 1. c. 34.* constare potest, cum ibi, videtur autem inquit nonnullis & retaliatio absolute & simpliciter jus ipsum esse, quemadmodum Pythagoræi dicebant: jus enim absolute esse retaliationem definiebant; verum retaliatio neque ad distributivum jus neque ad emendativum accomodatur: Et hic, est vero etiam Talio jus; non tamen ut agebant Pythagorici, rati namque illi sunt justum esse, ubi, quæ quis effecisset, eadem essent Talionis vice ferenda, quod erga omnes non est idem. Ita quidem *Aristoteles* Pythagoræorum de Talione sententiam refert. Verum enim vero, si non contemnendi roboris argumenta, quæ pro defendendo Pythagora in medium produci possunt, considerentur, apparebit haud immerito Scholæ Pythagorææ hac in parte iniquiorem *Aristotelem* à *Camerario* dictum esse. Nam quis credet Pythagoram inter antiquos Philosophos sapientia insigni clarissimum, adeo ut etiam ob ingenii acumen incomparabile à discipulis suis τὸ αὐτὸς ἔφα, luculentum autoritatis testimonium consecutus sit, tantum rationis deliquium passum esse, ut sententiam absurdissimam, ac ne pueris quidem probabilem scholæ suæ proponeret atque defenderet. Longe aliud ex vocis ἀντιπεπονθὸς (qua Pythagoræis denotabatur) nativa significatione *Camerarius* auguratur, eam nimirum Talionem κατ' ἀναλογίαν docuisse, cum ipsa vox apud Geometras cuius scientiæ Magistri fuerant Pythagoræi, semper proportionale aliquid dicat. Respondet quidem ad hæc argumenta *Hornejus* l. 3. c. 18. vix verisimile esse Philosophum sine causa, & toties ac tam diserte Pythagoricos reprehensurum fuisse. Hæc tamen conjecturæ, si quæ nonnulli gravissimorum authorum de *Aristotelis* ingenio tradunt, conferantur nequaquam defendi posse videtur. Ita namque de eo *Gerh. Ioh. Vossius* in l. de sect. Philosophorum. c. 17. §. 16. scribit: hoc tamen habet, quod gloriæ studio laboret vitio alios sugillandi, ac ne quidem candide semper alienas refert sententias. Quod facile vident, qui legunt ea, ubi alienas opiniones refellit, uti *Platonem*, *Democritum*, *Parmenidem* alios. Ex hoc apparet quam frigida sit ab *Hornejo* adducta defensio, ut potius ex his colligi queamus; Vix verisimile

mile est, eum qui toties aliorum opiniones referens à candore Philosophico declinavit, acutissimo Philosopho sententiam absurdissimam tribuentem, eundem servasse.

His accedit, quod eiusmodi simplex atque absoluta Talio, cum Pythagoræorum de Metempsychosi hypothefibus non conveniat. Nam si nullam illi pœnam justam esse existimassent, nisi qua simpliciter idem delinquentes pateretur, certe animabus demortuorum latronum, nequaquam pœnæ loco, ut lupi & alia huiusmodi rapacia bruta fierent, timendum atque expectandum foret. Cum ergo utrumque hoc dogma schola Pythagorica foverit; Talionem, ita ut cum Metempsychosi non pugnet, si Pythagoram Pythagoræ contrarium fingere velimus, accipi atque exponi necesse est. Præterea illud quoque hic observari meretur, quod non Pythagoras solum, prudentia sua rebus publicis maxime utilis fuerit, ac imprimis Cretensium, teste *Iustino*, l. 20. c. 4. jam prope collapsam restauravit, ac florentissimo in statu post se reliquerit, verum etiam supra citatus *Gerh. Iohan. Vossius* l. de sect. Philosoph. c. 6. §. 27. referat, ex Schola ejus in Italia multos Rerumpub. Rectores præstantissimos prodiisse. Fac nunc Pythagoræorum & eius asselas, perniciosissimam hanc rebus publicis sententiam, de Talione simplici defendisse, & in administranda justitia observasse semper: quem quæso existimas tam mente captum fore, ut tanta laude atque utilitate eos Rebuspubl. præesse potuissent, persuaderi sibi patiatur: sana quippe ratio cuivis dicitur certissimum Reipublicæ Talionem absolutam in justitia administranda sequenti exitium imminere. Ad postremum ab erronea hac sententia. Pythagoricam sectam altum quoque antiquitatis silentium liberare videtur. Nam si Aristotelem & qui eum sequuntur excipias, dubito num unicus, in universa antiquitate Historicus aut Philosophus occurrat, qui in recensenda Pythagoræ opinione cum Aristotele consentiat, adeo ut ne vestigium quidem deprehendere liceat. Contrarium potius, quod scilicet in justitiæ executione non omne æquitatis temperamentum respuerit, ex eo quod de Zaleveo quem *Laertius* & *Gerh. Ioh. Vossius* c. 1. Pythagoræ discipulum fuisse tradunt, *Val. Max.* l. 6. c. 5. memorat, apparet. Hic enim Locrensiū legislator, cum filius ejus adulterii crimine damnatus secundum jus ab ipso constitutum

utro-

utroque oculo carere deberet, suo prius deinde filii oculo eruto, tum videndi utrique reliquit. Ita debitum (quæ Historici est *omnino*) supplicii modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem Patrem & justum legislatorem partitus. Quid prohibet quo minus ex hoc colligamus; eos si temperamentum æquitatis, iustitiæ illæsa, mutando personas admitti posse, existimarunt, in ipsis quoque pœnis interrogandis, nedum in aliis ab Aristotele ipsis imputatis, tam rigidos non fuisse; ut non analogiam potius, quam hac neglecta absolutam identitatem spectaverint.

*II. Talio est Jus sapientissimum pariter atq; justissimum.*

Duo erunt quæ hoc in porismate sumus complexi; quoniam vero utrumque ex præmissa materia *επεργια* sequitur, utriusque etiam fundamenta exinde poterunt peti. Quod igitur primum attributum attinet, sapientissimum nimirum esse, ex causa eius efficiente tam prima quam secunda patere arbitramur: Prima ut ex supra dictis liquet est DEUS, hic ergo cum sit Ens infinita sapientia, adeoque sapientia ipsa, ac propterea nullus inter effectus eius, quantum ab ipso dependet, reperitur, quin ad profundæ sapientiæ amissim exactissime congruat, imo ipse non aliter possit quam sapienter agere; minime in hoc constituendo Jure ab hac sua sapientia declinasse putandus est.

Quam præclare itaque de hac summi legislatoris sapientia *Schmaltzius* sentiat, ipse viderit, satis enim in Deum contumeliosa sunt, quæ contra *Diff. 7. Frantzii de bonis operibus p. 269.* hanc Talionis legem sugillans, effutire non est veritus, dum scribit: perfectiores plerasque leges fuisse humanas in quibusdam, quam Divinas, quæ in lege Mosis continentur, quantumvis fortasse absurdum alicui videri possit, certissimum tamen est. &c. & iterum p. 239. Nihil in eo inest rationis sanæ, si is, qui me offendit, ita puniatur, ut nihil inde ad me redeat commodi: & alia omnino ratione is qui alicui oculum excluderet, puniretur hodie, secundum ipsas leges politicas, quam oculi exclusionem. Indulserat autem hoc Deus populo Israelitico, ut ingenio illius puerili & vindictæ cupido aliqua

ratione gratificaretur. Sed si *Schmaltzius* puerili sua atque pingui  
*αυβεία* in sapientia divina abyssum penetrare non potuit, saltem  
 auctoritatem ejus sacro silentio venerari, & quod *D. Paulus* 1. Cor.  
 1. 25. scribit: τὸ μωρὸν τῷ θεῷ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων εἶναι considera-  
 re debuisset. Quod ad rem ipsam attinet, non absurdum modo  
 videtur, sed aperte, etiam falsum est humanas leges, quod sua te-  
 meritate asserere non dubitavit in quibusdam DIVINIS perfectio-  
 res esse. Intelligit is per leges divinas, illas, quas per *Mosen*  
*διόπνευστον*, immediata sua inspiratione Politia Judaica, ferri cu-  
 ravit: per humanas vero, quas homines, sua dundaxat rationis  
 lumen secuti, citra specialem gratia Divinae concursum tulerunt.  
 Quis autem persuaderi sibi patiatur, cum sapientiam Dei immu-  
 tabilem atque infinitam esse novit; eam aliquid praecipere posse  
 quod non pariter sapientissimum sit: imo etiam humanae corru-  
 ptae sapientiae postponendum: Quis credat a sapientia perfectis-  
 sima effectum imperfectione, si non absoluta saltem respectiva,  
 imperfectum promanare. Falsum praeterea & illud est, quod  
 poena Jure Talionis irrogata, in laesum nihil redundet commodi,  
 forsan a negatione speciei ad negationem generis in mente sua  
*Schmaltzius* argumentatus est, non tale, quale e.g. ubi fur, quod  
 abstulerat, duplo restituere cogebatur, Ergo nullum. Certe sae  
 commodi, si mens injuriis laesa, ac proinde inquieta, & vindi-  
 ctam eo quo par est a Magistratu postulans, quietum in statum  
 restituitur; simul etiam, ne vindicta nimium severa, transilien-  
 do charitatis fraternae limites, peccatis & illorum poenis obnoxia  
 reddatur.

Denique insufficienti partium enumeratione laborat, id  
 quod statuit; nihil tum rationis inesse, si is qui offendit, ita punia-  
 tur, ut nihil inde ad me redeat commodi. Poenae non irrogantur,  
 unice ob partis laesae commodum, dantur etiam alii fines nimirum  
 ut Iustitiae satisfiat, ut alii cautius mercari, & ab injuriis abstinere  
 discant. Quod hodie oculum alii excludens non exclusione oculi  
 puniatur, ipsi legi nihil derogat, quia pro ratione status & temporis  
 hoc, quemadmodum & alia nonnulla in lege forensi mutari Deus  
 non prohibuit.

Diximus supra, posse etiam ex causa secunda colligi Ius hoc esse

se

se sapientissimum. Namque tot gentes, tot sapientissimos popu-  
lorum rectores, tot acutissimos Philosophos, quando Talionem in-  
troduserunt, ratione captos, mente excœcatos, ac fatuos fuisse non  
existimamus.

Ex his, quibus Ius hoc sapientissimum esse evicimus; poste-  
rius etiam, quod idem justissimum sit fluit: nihil enim quod sapien-  
ter constitutum est, justitiæ repugnat. Priore igitur confirmato ul-  
teriori probatione nobis supersedere liceret: tamen quia in supra  
data definitionis evolutione alia quoque nobis suppeditantur fun-  
damenta, paucis eadem adducemus. Est ergo. I. Iuris naturæ æ-  
quitas. Diximus ad Ius naturæ talionem etiam pertinere. De hoc  
autem, quin justissimum sit, cum nemo dubitet, propositio hæc ne-  
gari nequit. Quidquid est Iuris naturæ illud est justissimum. Sub-  
sumtio supra demonstrata, ergo conclusio quam nostrum porisma  
continet falsa esse non potest. II. Gentium consensus, si non apo-  
dicticum, saltem probabile hic nobis argumentum subministrat,  
quo tam diu standum donec validiore refellitur. III. Subsequens  
effectus est hic justissimus, ergo non nisi ex Iure justissimo proficisci  
potest. Antecedens liquet: namque tum pœna justa esse dicitur,  
cum eadem delicto est adæquata, quod in omnibus pœnis secundum  
Ius Talionis analogicum constitutis observari potest. Quandoqui-  
dem ergo omnis pœna, cuius fundamentum hoc Ius esse putatur, à  
sapientiæ atque justitiæ norma declinare haud potest, neminem la-  
tet, quantum à Talione ista pœnarum genera recedant, quibus de-  
linquentes non ad tollendum peccatum, sed ad augendum olim  
coercebantur. Referrî huc debet antiqua illa adulterii apud Ro-  
manos pœna: huius enim sceleris si convinceretur aliqua, illam in  
angustum lupanar conclusam, turpiter impudenterque scortari coe-  
gerunt: quippe effecerunt, ut eo tempore, quo obscœnum illud  
flagitium admitteret, pulsarentur tintinnabula, ut eos qui essent in  
proximo facinus minime lateret: imo vero ex tintinnabulorû soni-  
tu illud turpe & ignominiosum supplicii genus omnibus liquido  
constaret. Hanc tamen, ex reprobo in quem Gentiles dati erant,  
sensu exortam puniendî consuetudinem, Theodosius Imperator  
de illa certior factus sustulit, & sestra (ita namq; lupanaria illa nun-  
cupantur;) demoliri iussit. Iam si hominum quoque oculis inju-

Ita hæc videntur; quam ratione, illi qui Deum, quando peccata peccatis punit, huiusmodi pœnarum causam & autorem esse statuunt; Iustitiam Dei atque sapientiam illius ab injustitia & imprudentia vindicare possint minime apparent.

*II I. Magistratus Rerum publ. Christianarum citra peccatum Talione observare possunt.*

Photiniani ut evincant vindicatam publicam, quæ per Magistratum exercetur in N. T. à Christo esse abrogatam, non verentur Sanctissimam hanc legem sugillare; quid *Schmalzius* de ea sentiat, ex verbis eius potissime præcedente allegatis constat. Verum his I. opponimus, quæ ibidem de sapientia & iustitia huius Iuris dicta atque confirmata sunt. II. producimus utilitatem insignem quæ ex pœnis juxta Talionem decretis fluit. Potest ea colligi ex illis quæ de huius Iuris fine supra posuimus; apparebit exinde non solum læso commodum emergere, sed & lædenti, ne severa nimium vindicta ab eo pœna exigatur, imo ipsi Magistratui, ne, excedendo in puniendis delictis modum vel nimio rigore, vel lenitate vitiosa usus iustitiæ non administratæ, culpam incurrat. Proponimus III. Iudicium Dei extraordinarium quo cessante Magistratus officio scelera juxta hanc Talionis legem punire consuevit: huius specimina cuius ex sacris literis, qui in illis non plane hospes est, cognitu facillima sunt.

*Simson L. Iud. c. 15. de Philistæis vindictam sumens contra Talionis jus non peccavit,*

Philistæi sicut *c. 15. l. Iud.* memoratur à Simsone magna clade affecti, cum vindictæ cupiditate instructo exercitu in terram Iudæ ascenderet ab incolis vincitum sibi tradi Simsonem postularunt, ut, inquentes, *ipsi faciamus, quemadmodum nobis fecit.* Tribus Iudæ, terrore vehementi concussa ad comprehendendum Simsonem tria hominum millia mittit, ne autem injustum videretur; Simsonem injuria, laceffendo Philistæos, sibi illatæ accusat: sed hic mascule respondit. *Quemadmodum fecerunt mihi, sic feci illis.* Quemadmodum Philistæi expeditionem suam Iure Talionis defendere conantur, ita & Simson in defendendis, quibus illos affecerat, damnis, eodem Talionis Iure utitur. Dubitari hic posset, an non potius Phi-



Philistæi, quam Simson, ex jure Talionis, egerint, videntur enim in Simsonis actione requisita pleraq; ad Talionem necessaria, deesse; quæ Philistæis econtra convenient. Namque Philistæi nullam antea Simsoni injuriam intulisse videri possent. Erat præterea Simson, sicut tota tum temporis politia Israelitica, illorum potestati subiectus. Erat 3. Privatus, cui etiam de privato, ne dum de populo quodam, secundum Talionem vindictam sumere permissum non erat. Sed quod ad tertium attinet, ut à postremo incipiamus, nequaquam illud obstat, quominus secundum Talionem Simson egisse dici queat. Quamvis enim hoc concederetur, quod privatus fuerit, tamen ulciscendo non in actu privato versabatur. Nam quemadmodum privatus, si mandante Magistratu, alium occidit, non propterea homicidii reus agitur: ita nec Simson, quo summus Iudex tanquam instrumento, ad decretum suum executioni dandum usus est, propterea quod privatus erat, injustitiæ accusari potest. Sed & illud falsum est; erat enim homo non privatus) quemadmodum *Ampl. D. D. Sebast. Schmidius in Comment, MS. h.l. dixit:*) Sed publica liberatoris autoritate instructus. Ad 2. dicimus, erat quidem & Simson cum Israele potestati Philistæorum subiectus; verum hæc illis in Israelem à Deo permessa potestas, erat pœna, qua populus Dei ob peccata puniebatur; adhæc eandem Philistæi, tyrannice atque crudeliter imperitando, abutebantur. Licet autem hæc Israelitis non satis justæ ad excutiendum servitutis jugum, causæ fuissent; tamen cum Simson singulari Numinis impulsu hæc fecerit, injuste illum egisse, dici nequit. Nam licuit Deo populum suum à gravissima peccatorum pœna liberare: licuit etiam illi, potestatem tyrannicam medio quocunque libitum fuerit, è medio tollere. Hoc est iudicium Domini, ut par pari referatur. Sed hoc iudicium exequi cuivis non licet, sed iis qui speciali vocatione ad hoc divinitus ordinati sunt. Cum igitur Simson nondum natus, in hoc munus à Deo sanctificatus sit, ut gladio & fortitudine sua Israelitas à Tyrannide Philistæorum liberare incipiat, quod alius impie, ipse pie, dicit ita *D. Brentius h.l.* Nec maioris ponderis est, quod in prima ratione contra Simsonem urgeri posset: falsum quippe est nullam Simsoni illatam esse iniuriam à Philistæis, quin potius

tius duplicem & privatam & publicam injuriam eum oportuit ulcisci. De publica non est dubium; nam quia Imperio Tyrannico Israellem vexabant, injurias haud quaquam tolerandas eos intulisse certum est. Et quoniam Divino decreto Israelis liberator Simson destinatus erat, ad se, non modo populum Dei à potestate hostium vindicare, verum etiam illatas ei injurias, ulcisci spectare sensit. Publicis his injuriis accedebat & privata, qua Simsonem lacerantes, iram ejus atque justam vindictam in se convertère: erat autem hæc injuria quod cum Simson coram Philistæorum Principibus Socerum suum raptæ ex thoro conjugis atque alii collocatæ accusasset, illi nec justitiæ nec Simsoni satisfecerint: quemadmodum hæc *Max. Rev. D. D. Schmidius in supra citato commentario, ex 3. versu hujus capituli colligit.* Dignus inquam, consideratu hic versus est: nam non dicitur, quod Simson responderit soli Socero, sed aliis etiam cum illo, neque enim textus ait, & dixit illi sc: sed, & dixit illis, ut oporteat aliis cum Socero respondisse. Existimamus itaque causam ad Principes Philistæorum tanquam Judices delatam, sed neque justitiæ, neque Simsoni satisfactum fuisse: ut non à solo socero Simsonis, sed Principibus quoque Philistæorum contra Simsonem peccatum sit, atque Simson non tantum privatim, sed publice etiam offensus fuerit.

*Dilectissimo Dn. Respondenti,  
de Talione disputanti.*


**Æ** Terni lata est, mi Schmid, Talio Juris:  
Jus & in humanum Talio lata fuit.  
Quæris, num æterni, num humani Talio Juris  
Te ligat? ajo: omnes nam ligat illa viros,  
Ergo quam Patri, vel Avo quam reddere justum est?  
Si quales illi, Tu quoque talis eris,  
Si talis fueris, certe Tua Talio justa est:  
Quare huc incumbes, talis ut esse queas.

*ita roveo, ita hortor*

Sebastianus Schmidt. D.

F I N I S.






X 2615932

KD17







B.I.G.

Farbkarte #13

5  
I. N. D. N. I. C. *B. 9. G. 31. num. 8.* *1673, 7.* *XXXV.*

DISPUTATIO  
DE  
TALIIONIS  
JURE

*P. 70.*  
QUAM  
INSPIRANTE SPIRAMINE DIVINO  
SVB PRÆSIDIO  
VIRI  
ADMODVM REVERENDI,  
CLARISSIMI, ATQVE EXCELLENTISSIMI  
DN. JACOBI SCHALLERI  
S.S. THEOLOG. D. ET PHILOSOPH.  
PRACTICÆ PROFESSORIS CELEBERRIMI,  
FACULTATIS PHIL. P.T. DECANI SPECTABILIS,  
PATRONI, PROMOTORIS ET FAUTORIS  
OMNI HONORIS CULTU  
PROSEQVENDI

PUBLICÆ  
PRO INGENII TENVTATE  
SYSCIPIT DEFENDENDAM  
JOHANNES SCHMIDT / Aut.  
ARGENTORATENSIS.  
AD DIEM XXI. MARTII.  
H. L. C.

ARGENTORATI,  
Literis JOHANNIS PASTORII  
M DC LXXIII.

